

ciat in dominicam, transferatur in diem sequentem. n. 3496 die 27. Sept. 1698.

Quando Commemoratio Omn. fid. def. occurrit in dominica, transfertur in fer. 2. sequentem, quando autem die 3. et 4. Novbr. occurrunt festa dupl. quo die celebranda sit commemor. def.? S. C. resp.; Occurrente festo dupl. minori seu translato in die Comm. Omn. fid. def. *Officium* faciendum de Sancto, *Missas* vero celebrandas de Requ. n. 3565 ad 5 die 19. Junii 1700.

Usitatum est in Urbe Leodiensi ex statuto et consuetudine immemorabili semper facere commemorationem Omn. fid. def. 2. Novb., quamvis incidat in dominicam; quia sequens (dies) est impedita per festum s. Huberti C., protectoris civitatis et festum praecipui. Unde quaeritur: an liceat Regularibus et aliis, qui sequuntur ritum romanum, et missam def. celebrare in dominica, prout semper fecerunt? S. C. resp.: *Negative* n. 3749 ad 3 die 28. Aug. 1706.

Ad dubium: a possit et debeat differri dies commemorat. usque ad 6 diem ejusdem mensis, cum diebus 3. 4. et 5. occurrant festa, quorum officia fiunt sub ritu dupl., an fieri possit die 4., qua occurrit festum s. Caroli, quod non est de praeepto (apud Capuccinos Leodienses), quoties dies commemor. incidit in dominicam et hac die non potest celebrari, nec die 3.; si hoc ultimum, tunc posset pro festo s. Caroli assignari dies prima infra octavam SS. omnium non impedita? S. C. resp. *negative*. n. 3763 ad 8. die 19. Febr. 1707. Vd.: 17. d. *Off.* (decr. n. 3817. 3887.)

18) Omn. fid. def. Confrat. Ordinis.

Vd.: *Aniversar. generale Ordinis.*

Jam in omnibus congregationibus Ord. Benedictini post festum Omn.

SSrum. 13. Novb. celebratur sol. commemor. omnium † confratrum dicti Ordinis. Quid, si illa 13. Novbr. alicubi adsit festum dupl. translatum aut occurrens? S. C. resp.: Commemor. Omnium defunct. non est transferenda, sed, si die illa occurat festum dupl. minus seu translatum, fiet *Officium* de Festo dupl. cum missa sol. post Tertiam, *Officium* vero defunctor. recitandum erit post Laudes et omnes missae privatae dicentur pro def. in paramentis nigris. n. 4044 (alia dubia) dub. 11 die 5. Mai 1736.

Quando Aniversarium seu *Officium* sol. pro animabus Omn. def. Confratrum alicujus Congregationis, sit in festo ritus dupl. minus, potest cantari missa de requiem, secus si occurrat in festo alioris ritus. S. R. C. die 8. Mart. 1738.

Sub die 5. Maii 1736 S. R. C. decrevit: „Annua Commemoratio omn. def. alicujus Ordinis seu Cong. non est transferenda, si in die illa occurrat dupl. min. etiam translatum, sed fiat *Officium* de dupl. cum sola Missa solemniter post Tertiam, *Officium* vero defunctorum recitandum erit post Laudes sub ritu dupl., et omnes Missae privatae dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.“ Quaeritur nunc ergo I: An tale Indultum extendatur ad omnes qualescumque Cong. sive Confraternitates etiam Saeculares utriusque sexus in aliqua Eccl. legitima auctoritate constabiles? et 2. An omnes Missae privatae dicendae pro Defunctis in paramentis nigris, intelligantur solummodo de Missis, quae applicantur in suffragium defunctorum ipsiusmet Cong. sive Confraternitatis, vel intelligantur de omnibus omnino Missis, quae dicuntur in illa Eccl., etiamsi non applicentur pro def. Confratribus, sed pro aliis quibuslibet Defunctis ad libitum, et intentionem Celebrantis?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: Quoad primam quaestionem negative, sed quibus indultum est: quoad secundam quaestionem, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 16. Die 23. Maji 1846.

19) Omnium ss. Martyr. in festo s. Stephani.

Vd.: *Commemor. ss. Apostol. omnium.*

20) Patroni.

a) Obligatio.

Cf. *Suffragia; Patronus; Compatronus* (commemor.); *A cunctis; Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis decr. n. 4910.)

Regulares Theatini interrogant, an debeant facere commemorationem de Patrono Ecclesiae, ubi morantur, cum in praeteritum nullam de eo, sed loco Patroni, de Cruce tantum fecerint commemorationem, in memoriam institutionis eorum Ordinis, qui in die Exaltationis SS. Crucis institutus fuit? S. R. C. resp.: faciendam esse commemorationem de Patrono Ecclesiae et de Cruce. n. 355 ad 2. die 1. Sept. 1607.

Beneficiatus, obligatus facere commemorationem s. crucis diebus solitis, etiam commemorationem ordinariam facere tenetur. n. 595 die 30. Mart. 1621. Vd. *Beneficiati.*

Non debere Ordinarium permittere, quod fiant Commemorationes vel *Officia* non approbata n. 1734 ad 3 die 19. Sept. 1654.

b) Ordo.

Cf. *Commem. octav.* (ordo.)

Clerus Terrae Saracenae Dioecesis Cassan., ad tollendam omnem ambiguitatem, quae contingit in occurrentia Festivitatis S. Leonis Episcopi

praecipui Patroni ipsius Terrae cum altera Patroni Civitatis, ac ejusdem Dioecesis super commemoratione peragenda S. R. C. humillime supplicavit. Et S. eadem C. respondit: „Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono Dioecesis, secundo de Patrono loci.“ Et ita declaravit. N. 3947. Die 7. Junii 1721.

TARENTIN.

Ad omnem ambiguitatem eliminandam in ordinando Calendario Civitatis ac Archidioec. Tarentin. Magister Caer. Metrop. illius Eccl. anceps haeret quodnam Decretum S. R. C. potissimum sequi debeat in assignandis commemorationibus Patronorum in Laudibus ac Vesp., dum Loca particularia praeter Patronum Dioecesis, alium suum praecipuum venerantur S. Patronum. Etsi enim usque ab anno 1683 XII. Kal. Dec. sancitum fuerit de principali tantum Patrono instituendum; attamen de anno 1721. VII. Id. Jun. praecipitur: „Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono Dioec., secundo de Patrono Loci.“ eandem S. C. R. enixe rogavit, ut declarare dignaretur quid in casu exequendum? Quae in Ordinariis Comitibus ad Quirinale hodierna die habitis coadunata, referente subscripto Secretario, probe intelligens, Decretum diei 20. Nov. 1683 loqui tantum de pluribus Patronis ipsius Loci, ac aliud praecipere observantiam Rubricarum, quae praeter Patronum integrae Dioec., cujus Commemoratio institui debet in ipsa Dioec., admittunt Patronum praecipuum cujusque Loci, rescribendum censuit ad propositam quaestionem: „Servandum in casu Decretum diei 7. Jun. 1721.“ Atque ita rescripsit. n. 5078. Die 27. Febr. 1847.

21) S. Pauli ap.

a) Festum.

(De Commemoratione s. Pauli ap. occurrente cum festo privil. ss. Cordis Jesu, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (ut festum privileg. decr. n. 4579 ad 5).)

Ad dubium: 1. An occur. Officio Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu dupl. maj. pridie Kal. Julii, fieri de ipso debeat, vel potius de Comm. S. Pauli Ap., quae, quamvis gaudeat tantum ritu dupl., attamen habetur tamquam continuatio praecedentis Solemnitatis SS. Apostolorum?

2. An in casu affirmativo ad primam partem Comm. S. Pauli reponi debeat intra Oct. SS. Apostolorum, quamvis reponendum sit aliud praecedens Officium translatum, quod gaudeat ritu dupl. maj.?

3. An Officium Comm. S. Pauli gaudeat praecedentia super alia Officia translata ritu dupl. min., dum reponitur vel infra Oct. SS. Apostolorum, vel etiam extra ipsam, adeo ut ratione dignitatis reponi debeat ante aliud quodcumque translatum ritu dupl. min.?

4. An in casu translationis Officii Comm. S. Pauli sequenda sit peculiaris Rubrica in Vesperis apposita in Breviario pro iis locis, ubi est Titularis Eccl.? S. eadem, C. . . rescribere rata est:

Ad 1. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Ad 2. „Negative.“

Ad 3. „Affirmative ad utrumque.“

Ad 4. „Affirmative.“

Atque ita rescripsit, servarique ubique mandavit. N. 5114 ad 7 — 10. Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: 1. In Rubrica Brev. Rom. die 30. Junii legitur: „Si Comm. S. Pauli venerit in die Oct. Corp. Chr., extra propriam Eccl. transferatur in primam diem infra Oct., Dominica vel Festo non impeditam.“ Quaeritur 1.

An haec Rubrica ita intelligenda sit, quod Comm. S. Pauli in primam diem infra Oct. Dominica vel Festo non impeditam sit transferenda, quamvis supersint Festa etiam altioris ritus, quae prius forent transferenda; et quatenus negative; quaeritur 2. An in translatione Comm. S. Pauli praeferi debeat saltem aliis duplicibus min., quae prius transferri debeant?

2. An idem servari debeat, si Comm. S. Pauli transferenda sit ob Festum Sacratissimi Cordis Jesu, quod cum illa coincidat, vel ob quaecumque aliam causam, quam praefata Rubrica non agat nisi de casu, ubi haec Comm. incidat cum Oct. Corp. Chr.?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

Ad 1. „Negative quoad primum, affirmative quoad secundum.“

Ad 2. „Affirmative.“

Atque rescribere rata est, et declarare. N. 5115. ad 2 et 3.

Die 11. Sept. 1847.

b) Festi ritus.

Vd.: *Conversio s. Pauli* (Ut titulus).

c) Translatio.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (transl. decr. n. 5155).

22) Sancti in missa.

Vd.: *Missa vot. de Sanctis* (dies imped. decr. n. 5146)

Ad dubium: In diebus juxta Rubricas Missalis Tit. VI. cani non potest Missa de Sancto, cujus Officium transferendum est, potestne saltem addi ejus Collecta vel Commemoratio Missae solemnii diei, exceptis Feria V. in Coena Domini, Sabbato S. et in diebus Paschae et Pentecostes? Et quatenus affirmative, estne dicenda sub unica conclusione cum Oratione Missae? „Negative in omnibus“, resp. S. R. C.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad XIII. Die 16. Aprilis 1853.

23) SS. Sacramenti.

a) In missa.

I. Series.

Vd.: *Missa cor. exp. SSmo.* (decr. n. 4387); *Festum ss. Cord. Jesu* (commemor. in hoc festo).

Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes orationes de praeepto et in missis sol. celebrandis in festis 1. et 2. cl. esse eandem commemor. faciendam sub unica conclusione. n. 4049 ad 8 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 8 die 16. Febr. 1737. Quando missa cantatur coram SSmo. in festis 1. cl. occurrentibus in dominica, commemor. SSmi. conjungenda est commemorationi Dominicae. n. 4299 ad 6 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: an Commemoratio SSmi. ob ejus expositionem in dupl. 1. et 2. cl. debeat uniri cum oratione missae sub unica conclusione, quando simul concurrunt aliae commemorationes de praeepto aut de feria majore? S. C. resp.: Uniendam esse in fine aliarum Commemorationum de praeepto. n. 4395 ad 8 die 18. Decb. 1779.

II. In missa, in qua consecratur hostia pro expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 1.*

In tertia Dominica cujuslibet Mensis, ex antiqua consuetudine in solemnii Missa duae consecrantur Hostiae, quarum una in usum Sacrificii, altera pro publica veneratione in Ostensorio collocatur, confectaque celebratione processionaliter per Ecclesiam gestatur. Cum vero tempore Quadragesimae, et Adventus supplicatio per Ecclesiam omittatur, ex eo quod praefato tem-

Decreta authentica.

pore scammis referta ipsa reperitur, pro commoditate populi ad audiendum verbum Dei accurrentis, dubium propositum est: An, omissa in casu supplicatione, commemoratio SS. Sacramenti in Missa solemnii debeat omitti?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Commemorationem SSmi. Sacramenti in praefata Missa solemnii faciendam esse, licet accidentaliter omitatur Processio.“

Et ita respondit, atque decrevit, die 15. Maji 1819. N. 4561 ad 2.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Cum Missa celebretur pro exponendo Augustissimo Eucharistiae Sacramento, cumque in ea duae consecrentur Hostiae, altera pro Sacrificio, altera pro expositione faciendam post Missam, plane consequitur in eadem legendam esse Collectam de Sacramento. Nemo est, qui de hoc quaestionem moveat. Plura sunt S. R. C. Decreta, quae pro hujusmodi Missa certas dant regulas omnino servandas: praecipue vero in Fanen. 6. Dec. 1653.: siquidem a Sodalitate SSmi. Sacramenti qualibet tertia Dominica in singulis mensibus supplex instruebatur agmen ad Sacram circumferendam Eucharistiam. Excitata controversia, num quae praecedebat Missa, cantanda esset de Dominica cum commemoratione Sacramenti, vel potius de Sacramento, cum commemoratione Dominicae? Dubium delatum fuit ad S. R. C., quae illud diremit respondens: *Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica, seu de Festo duplici, si in illa die occurrat cum commemoratione SSmi. Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis.* Heic autem loci abs re non est perconctari, quoniam in loco haec Collecta ponenda sit? Huic dubio per eandem S. C. provisum fuit, data regula, quod commemoratio SSmi. Sacramenti fiat post

omnes Orationes de praecepto, et in dupl. I., vel II. cl. unienda sit Orationi Festi sub unica conclusione, vel Orationi Dominicae, si in ea occurrat Festum I., vel II. cl. Ita in *Burgen.* 23. Jun. 1736., in *Aquen.* 3. Mart. 1661., et *Ordinis Minorum de Observatione S. Francisci Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae.* Quid autem si post Missam non sequatur Processio? Eritne hoc in casu omittenda commemoratio? Cur dubium hoc proponatur, non video; cum nulla occurrat dubitandi ratio, quippe Commemoratio fit non ex causa Processionis, quae extrinsecam auget solemnitatem, sed ex motivo venerationis debitae SSmo. Sacramento, quod palam Fidelium oculis adorandum exponitur, vel statim post Missam collocetur in Throno, vel processionaliter circumferatur. Plura addere possem ad spartam hanc illustrandam, libenter tamen abstineo. Cum enim, ut piis nonnullis doctisque Viris id poscentibus, morem gererem, dare constituerim Commentaria quaedam ad Instructionem *Clementis XI. de Oratione 40 Horarum* ad enodandas quaestiones quae saepe insurgunt, incompto sermone sed opportune digesta: Sacrae Liturgiae studiosi habere in iis poterunt tum quae ad huiusmodi dubii solutionem conducunt, tam alia plura, quae circa expositiones tam publicas, quam privatas versantur.

III. In missa de Requ. omittenda.

Vd.: *Missa de Req. cor. SSmo.* (decr. n. 4659 nota.)

IV. Quando fit?

Vd.: *Festum ss. Cord. Jesu* (comm. in hoc festo).

Commemorationem de SSmo. posse fieri in missa de festo dupl. coram ipso exposito celebrata, non tamen

primae vel secundae classis. n. 4119 ad 5 die 2. Sept. 1741. Commemoratio de SSmo. in missis *privatis* potest fieri, quando ejus expositio fiat ex publica causa. n. 4181 ad 9 die 7. Maii 1746.

Ad dubium: Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi. publice in majori altari et praeter missam sol. dicantur etiam missae *privatae* ad idem altare majus et alia altaria minora durante expositione SSmi., an debeat fieri commemor. de eodem SSmo.? S. C. resp. poterit fieri commemoratio de SSmo., durante expositione. n. 4181 ad 10 die 7. Maii 1746.

PISTORIEN.

In Cath. Pistorien. Eccl. alia extat Eccl. subterranea in Apside, ad quam accessus patet ex ipsa Cath. Quum vero in hac subterranea Eccl., quae est prima Civitatis Paroecia bis in anno solemniter Expositio SSmi. Sacramenti in forma Quadraginta Horarum locum habeat, Sacerdos Aloysius Agostine S. R. C. enixe rogavit, ut formiter declarare dignaretur:

An Missis Officii occurrentis, quae in Cath. celebrantur, addi possit commemoratio SSmi. Sacramenti, et si Capitulum in Choro ob nimiam distantiam ab Expositione SSmi. Sacramenti sedeat capite cooperto?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: In casu utrumque fieri posse, attamen servatis Rubricis. N. 5086. Die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: In quibusdam Ecclesiis occasione Orationis Quadraginta Horarum suspenditur Oratio a Vesperis usque ad unam vel duas horas post solis ortum diei sequentis, ne nocturno tempore scandala oriantur; quaeritur: utrum ab aurora, usque ad Eucharistiae expositionem in Missis dici possit Collecta de Sacramento, vel solum tempore Expositionis, hoc est per uni-

cum spatium Quadraginta horarum interruptarum?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. N. 4782 ad 6. Die 27. Aug. 1836.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Non est hic inquirendum quo tempore Oratio Quadraginta horarum inceperit, quis fuerit hujus Orationis primus Auctor, et ubi ea fuerit instituta: haec qui desiderat adeat Summos Pontifices Pium IV. in sua Constitutione: *Divina disponente Clementia*, Benedictum XIV. in *Instit. Eccl. trigesima* latinae editionis; adeat insuper Ughellium *Ital. Sacr. Tom. 4.*, Thiersium, Cavalerium, aliosque: hoc investigare alienum esset a proposito, et parum interesse videtur. Aliud est hic inquirendum, quod cum praesenti dubio est aliquo modo connexum. Sane licet Quadraginta horarum spatium haec Oratio duraret, certum tamen non est hanc Orationem ubique, saltem initio, ante SSmum. Sacramentum fuisse peractam, et Hoc ea solemnitate fuisse expositum, qua hisce nostris temporibus solet exponi, cum vere dici possit aliquem ante SSmum. Sacramentum orare, quamvis illud in Ciborio sit inclusum. Ipsa Clementina Instructio de sola loquitur Oratione, non de Expositione, et ipsa fel. rec. Clementis VII. (a cujus aetate perpetuae adorationis in Urbe initium est repetendum) verba, nempe: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur*, de publicis precibus possunt intelligi, quae semper, sive exposito, sive non exposito Sacramento in conspectu Domini fiunt. Non eadem in exordio fuit ubique praxis. Mediolani e. g. vel in ipsa hujus Orationis insti-

tutione aevo S. Caroli Borromaei, non modo statuae et distributae successive sunt Ecclesiae, in quibus haec Oratio fieri deberet, sed in unaquaque Ecclesia expositum solemniter erat s. vas cum Eucharistia super altari, et Oratio fiebat diu noctuque sine ulla intermissione, ut clare colligitur ex Instructione ejusdem Sancti Antistitis. Aliis in locis quibusdam, et in nostra Urbe ipsa asseri certo nequit, tempore hujus Orationis S. Eucharistiam ab initio usque ad finem Orationis exponi consuevisse; quin immo valde de hoc dubitatum est.

Praeterea Romae in ipsa Orationis hujus institutione, quae nonnullorum privatorum initio fuit, qui stans temporibus aliquam in Ecclesiam ad Religionis opera exercenda conveniebant, Oratio non ita erat perennis et continua, quemadmodum hac nostra aetate servatur, ut numquam per totum anni circulum in hac illave Ecclesia per quadraginta illas horas cessaret, et licet aliquibus in Ecclesiis Oratio per illas quadraginta horas non intermitteretur, et Sodales coram SSmo. Sacramento orarent, et invicem sibi ad orandum succederent, tamen non in omnibus aequae Ecclesiis Sacramentum expositum erat.

Dictum supra est ex Clementina Constitutione erui, praecipiam fuisse continuam ante SSmum. Sacramentum Orationem, non vero continuam aequae expositionem, et hanc in arbitrio et facultate fuisse. At si hoc ab initio fuit, tamen non ita post, et tempore ipsius Clementis VIII. consuetudo fuit inducta exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis per integras quadraginta horas praescriptae Orationis. Auctor nobis de hoc est fel. rec. Benedictus XIV., qui in allata superius Constitutione, quamvis dicat expositionem SSmi. Sacramenti non fuisse a Clemente VIII. aliqua lege

praeceptam, ejus tamen tempore merito fuisse inductam; haec enim habet: *Licet de exponenda publice Eucharistia nullum* (Pontifex Clemens VIII.) *verbum faciat, conjici tamen potest tunc primum morem fuisse inductum, vel paulo ante ut S. Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indicetur:* quo in testimonio adnotandum apposite est, Benedictum XIV. non dixisse paulo post, sed paulo ante, quae enuntiatio omne tollit dubium circa praescriptionem latam et consuetudinem aetate Clementis VIII. Haec autem consuetudo, quae quodammodo Clementi ipsi coeva dici potest, universalis est, diuturna, non interrupta, eam nunc vim habet quam praescriptae leges habent nec alicui liberum est ab ea recedere.

Haec insuper consuetudo quam maxime laudabilis Orationi conjungendi expositionem SSmi. Sacramenti ex ipsa Clementina Instructione eruitur non obscure: leguntur enim in exordio haec verba: *Della Introduzione dell'Esposizione de Santissimo Sacramento per l'Orazione continua delle quaranta ore;* neque obstat quod supra dictum est, quodque contradictionem quamdam offerre primo intuitu videtur; nam utrumque stare potest; haec enim verba ita sunt intelligenda ut demonstrarent primum inductam fuisse perennem et perpetuam Orationem ante SSmm. Sacramentum (fortasse Romae), et postea usum invaluisse exponendi SSmm. Eucharistiam tempore continuae Orationis initio quammaxime laudatum, postea praecipit. Insuper, addendum aliquid videtur, per quod ostendatur, sicut continua et non interrupta est Oratio, continuam et non interruptam esse debere SSmi. Sacramenti expositionem, adeoque eos, qui a laudabili non modo, sed a praescripta consuetudine recedunt, illud per aliquas horas in taber-

naculo includendo, contra legem agere, quae continuam et non interruptam illius expositionem praecipit. Id ex dictis patet ex ipsa S. R. C. quae in Ilerden. die 28. Apr. 1607. jussit: *ne Concionatores caput tegant ante SSmm. Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi, et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur.*

Quidquid anteactio tempore factum fuerit, quidquid diversi sentiant auctores inquirendo, fueritne Orationi huic in institutione simultanea SSmi. Sacramenti continua expositio, vel posterioribus temporibus haec fuerit inducta, certum est, morem huic vetustissimum esse, et nunc legis vim habere, licet, ut jam observatum est, ea initio in arbitrio fuerit, et Orationem 40 horarum sine simultanea SSmi. Sacramenti expositione haud nunc indicare licere.

Clementina Instructio non de institutione agit hujus Orationis, sed ea continet, quae ordinem, et ea quae in expositione sunt servanda, respiciunt. Multa sane haec sunt quae afferre inutile esset, et praesens disquisitio non postulat; unum dumtaxat quod huic proposito opportunum videtur notare juvat. Siquidem titulus Instructionis hic est. *Intruzioni ed ordini da osservarsi nell'Orazione continua delle quarant'ore;* primus autem paragraphus sic incipit: *Essendo state fatte fin dal tempo dell'Intituzione dell'Esposizione del Santissimo Sacramento per l'Orazione continua delle quarant'ore diverse provisioni etc.* In utroquo loco usurpatur vox *continua* et haec vox afficit *Orationem*, non vero *expositionem*, hinc dicere quis posset praecipit Orationem continuam, non autem continuam expositionem, ita ut haec non illa possit interrumpi; sed hoc non sequitur semel ac, ut supra adnotatum est, Clementis VIII. mens fuerit ut continua pariter et Oratio et

expositio esset, et hanc fuisse illius mentem clare patet ex eo, quod ille Summus Pontifex voluerit ut Oratio Romae fieret ad exemplum Ecclesiae Mediolanensis. At Mediolani toto Orationis continuae tempore vas cum SS. Eucharistia super Altari *diu noctuque*, erat solemniter expositum, quis ergo non videt Clementis mentem fuisse ut cum continua et non interrupta Oratione, continua item et non interrupta SSmi. Sacramenti expositio simul conjungeretur? Dicendum itaque est, nihil erui posse ex voce *continua*, appositae Orationi et non expositioni, neque posse expositionem interrumpi: generice tamen et juxta praescriptionem hoc dictum intelligatur; potest enim quandoque evenire ut aliqua in Ecclesia, rationabili aliqua interveniente causa, debeat Expositio interrumpi, sed hac deficiente, haud eam interrumpi fas est. His adductis, quae proposito dubio opportuna visa sunt, quamplurima praescribit Clementina Instructio. Inter alia praecipit, ut in Missa dicatur Collecta de SSmo. Sacramento, cum iis exceptionibus quae videri possunt tum in ipsa Instructione, tum in Illustratione Decretorum S. R. C. Jam si hoc Clementina Instructio praecipit, per hoc praecipit, quod supponit, SSmm. Sacramentum eo tempore publice esse expositum, non vero in Tabernaculo inclusum; secus quicumque Sacerdos, et quovis tempore in Missae celebratione posset Collectam addere de SSmo. Sacramento, quod non est ex Rubricis, quodque neminem qui asserat inveniri posse putandum est. Hinc sequitur, Collectam de SSmo. Sacramento dicendam esse (cum exceptionibus supra citatis) tempore tantum quo illud publice patet per expositionem. Ex his eruitur, quod Collecta in Missis dicenda relationem habet ad expositionem non vero ad Orationem, quae licet sit continua Collectam non

exposcit. Duo autem haec, Oratio nempe et Expositio, valde in se differunt. Cum insuper continua debeat esse non solum Oratio per quadraginta horarum spatium, sed etiam per hoc idem spatium Expositio, sequitur, qui si alicubi quis Missam celebret, et nondum ea in Ecclesia SSmm. Sacramentum, quavis ratione nocturnis horis in ciborio inclusum, nondum fuerit iterum publice expositum, Collectam, de qua agitur, addi omnino non debere. Si quis contra ageret, et Collectam adderit eo tempore, contra finem ageret, per quem ea addenda praecipitur. Finis autem est, ut memoria fiat de SSmo. Sacramento, quando dici nequit Missa de eo, sed dicitur de aliquo Sancto, ut eo quo licet modo aliquid in Missis addatur quod referri possit ad ipsius Sacramenti expositionem quodam particulari modo eam memorando, et in Illius gloriam et Fidelium adstantium bonum redundet. Haec autem omnia supponunt veram, realem et patentem SSmi. Sacramenti expositionem, quae ut supra probatum est, continua et non interrupta esse debet. Cum itaque realis intermittitur Expositio, toto intermissionis tempore Collecta erit jure omittenda, deficiente principali fine, contra hunc eam addendo ageretur. Demum contra S. R. C. Decreta adderetur Collecta, et ea videri possunt in authentica Collectione, ex quibus clare patet eam esse addendam durante expositione. Sic in una Varsavien. anni 1746. in qua dicitur *durante Expositione*, quae enuntiatio supponit veram et realem Expositionem. Sic pariter in una Canonicorum Reg. Lateran. die 2. Dec. 1684. in qua dicitur posse (nempe addi Collectam praedictam) exceptis Festis I. et II. cl. ratione SSmi. Sacramenti actu et realiter expositi. Ex his omnibus quae adducta sunt clare descendit, omittendam omnino esse Collectam de

SSmo. Sacramento in omnibus Ecclesiis, quoties in illis Missae celebrantur, et nondum SSmum. Sacramentum, quod aliquibus horis in Tabernaculo inclusum fuit, iterum fuerit publice expositum, quemadmodum S. C. ad propositum dubium respondit.

b) In Oratione 40 hh.

Vd.: *Expos. SSmi. occasione 40 hh.*

Ad dubium: an in missa privata de Sancto dupl. vel semid., de quo tali die fit Officium, facienda sit com. de SSmo. exposito occasione 40 hh.? S. C. resp.: Posse, sed omittendum in festis I. et II. cl. n. 3073 ad 4 die 2. Decb. 1654.

Vd.: *Instructio Clem. §. XII. n. 9, 12. et 25. §. XIII. n. 4; §. XVII. n. 20—34. (In num. 25.; Ordo.)*

Ad dubium: An Collecta SSmi. Sacramenti in expositione 40 horarum, vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis, vel ultimo loco post alias Orationes?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

Servandum esse quod praescribitur in novissimo folio Instructionis pro publica Oratione 40 horarum, de mandato SSmi. Domini Nostri anno 1705. edito num. 10. §. Nell' Altare, si agitur de Missa solenni; si autem agitur de privata, habetur pariter in eisdem folio, et numero §. Non si celebrino, et quomodo regulari debeat Collecta de qua agitur juxta praescriptum Rubricae, quae est octava in ordine tit. de Commemorationibus.

Et ita decrevit, ac servari mandavit. N. 3800 ad 2. Die 23. Martii 1709.

c) In tabernaculo inclusi.

Vd.: *Commem. SSmi. in miss. et festis. (Quando; decr. n. 4782 nota ad finem.)*

d) In Vesperis.

In istis vesperis, ubi SSmum. expositum est, commemoratio SSmi. fieri non debet. S. R. C. die 25. Septbr. 1852.

24) In vesperis (Ordo).

Cf. *SS. Trinit. (vesp.)*

Concurrente Dominica II. Adv. cum festo Conceptionis B. V. M. et die octava Sancti proprii fieri debet in vesp. prius commem. Sancti proprii, deinde de dominica. n. 3301 ad 7 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: An in primis et secundis Vesp. de Octava Dedicationis Basilicae, servandus adhuc sit immemorabilis usus addendi tantum commemorationem Sancti ritus dupl. vel praecedentis, vel subsequentis?

S. ead C. rescribendum censuerit... „Negative, et servendur Rubricae.“ Atque ita S. C. rescribendum, et declarandum censuit. N. 5176. Die 25. Sept. 1852 ad 2.

COMMENDATIO ANIMAE.

Vd.: *Lytan. Sanctor. Omn. (add. licita).*

COMMUNE C. NON P.

Vd.: *Capitulum de comm. C. non P.*

COMMUNE VV.

(Ant. 3. in 1. n. Vd.: *Ant. 3. in 1. n.*)

COMMUNICANTES.

a) In Missa.

Cf. *Praefatio.*

Occurrente festo ss. Philippi et Jacobi seu inventionis S. Crucis infra octavam Ascensionis D. dicitur Praefatio de die festo propria, *Communicantes vero de Ascensione*, quamquam dicta festa non admittunt commemorationem octavae n. 707 ad 2 die 7. Aug. 1627. Communicantes de As-

ensione non omittitur in festis 2. cl., quae occurrunt infra octavam Ascensionis, licet de ea non fiat commemoratio. n. 2362 ad 10 die 13. Febr. 1666.

Infra octavam Ascensionis in Missis defunctor. dici debet Communicantes commune. n. 1509. die 4. Junii 1644.

Si celebratur missa votiva infra octavam, *Praefatio* de missa votiva cantanda est, dum propriam habet; *Communicantes* vero de Octava, quia est proprium de illo tempore infra octavam. n. 2223 ad 3 die 16. Junii 1663.

b) In festo Pentecostes.

Circa *Communicantes* proprium dicens in festo Pentecostes in quibusdam missalibus legitur: *Igneis linguis*, in aliis quampluribus legitur: *Innumeris linguis*; quatenam ex duobus lectionibus amplecti debeat? S. C. resp.: Lectionem: *Innumeris* etc. esse conformem missali ab Urbano VIII. recognito. n. 4491 ad 11 die 12. Mart. 1804.

Vd.: *Exaltatio crucis*, — conclusio etc. — decr. n. 4566.

COMMUNICATIO PRIVILEGIATA IN OFFICIIS RECITAND.

Vd.: *Officium particul.; Dies fixus* (decr. sub. die 28. Aug. 1706.

COMMUNIO.

1) In Coena Domini.

Vd.: *Coena Domini.*

2) Diaconi et Subdiaconi.

Vd.: *Missa. (interrupta per mort. Sacerdotis; nota ad finem.)*

3) Distribuens (Habitus).

Vd.: *Stola in distrib. communionis.*

Ad dubium: An toleranda sit, vel

eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic S. Vestibus Sacrificii indutum, et prae manibus Calicem tenentem, ascendere in transitu ad Altare, in qua adest SSma. Eucharistia, ut ibi S. Communionem Fidelibus distribuatur? Et quatenus non sit toleranda utrum depositis Planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba et Stola? Emmi itaque ac Rmi. P. . . rescribendum censuerunt: „Si adsit necessitas, posse tolerari.“ Atque ita rescripserunt, ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 12. Die 12. Martii 1836.

4) Distributio.

a) Infra Missam.

Vd.: *Communio in Sabb. s. (decr. n. 4815); Communio (ordo accip., decr. n. 1907); Patena (in comun.)*

Quando in missa sol. ministratur s. Eucharistia Clericis vel Laicis, reliqui de Clero in choro debent stare. S. R. C. 9. Maii 1711.

In Catanien.

JANUEN.

Emme., et Rmme., D. Observandissime. Quomodo nomine Sacerdotum istius Januen. Civitatis, qui Sacrum peragunt in Eccl. S. Octaviani S. huic R. C. humillimae datae sint preces, quibus exponitur a memoratae Eccl. Parocho contra invectam ubique locorum consuetudinem prohiberi S. Communionis expleto Sacrosancto Missae Sacrificio Fidelibus distributionem, ob irreverentiam, quae, ut asserit, SSmo. Sacramento irrogatur a ceteris Fidelibus Missa peracta exeuntibus; dum ob hanc novitatem Presbyteri clamant, ei ob incommodum Populus obloquitur. Quae singula sedulo perpendentes Emmi. et Rmme. D. Card. S. tuendis Ritibus praepositi, quin aliquid directe supplicii Libello responderent in Ordinariis